

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Decembris.

M. ARMANDO JOSEPHO COLLOT, Doctore Medico, Præside.

An Temperamentum Melancholicum præstantius?

I.

TEMPERAMENTUM hominis quatuor emergit ex humoribus, variè permistis, contemperatis; horum si quis exuperat, inde Temperamentum nominatur, sanguineum, si dominatur ea pars humorum, quæ sanguis audit; Pituitosum, si pituita; si bilis, Biliosum; si terrenus humor, Melancholicum. Utilissimus liquorum sanguis, sine quo, nec functionum perfectio, nec alimonia partium. Pars sanguinis tenuior, per cribrosam cerebri substantiam trajecta, fit origo spirituum; crassior abit in nutritionem corporis: utraque citiùs exolveretur, ni novâ chili materie repararetur: Hic ope fermentorum confectus ex cibis, repetito circuitu convertitur in sanguinem. Sic perenni

liquorum motu fovetur vita, prorogatur, purpureusque latex pro diversitate molecularum quibus conflatur, variis nos afficit modis. Hinc Temperamentorum mira diversitas; sed hæc inter laudabilius, quod animo simul & corpori firmiorem conciliat sanitatem.

I I.

HOMO dissimillimis constat ex partibus, anima, corpore: illa cœlo, hoc parentum semini suam debet originem: utraque pars beneficio spirituum functiones vitæ perficit, si ritè conformata sint organa, temperata. Sic producit humanam felicitatem, sana mens in corpore sano. Is mentis integer, qui rationem sequitur ducem, sequitur & naturam; qui rebus in omnibus auream servat mediocritatem, vacat & animi perturbationibus. Viget is corpore, qui liberè respirat, sentit acutè, movetur expeditè, qui probè cibos concoquit, egerit excrementa, à morbis difficilè tentatur, facile resurgit: has dotes qui non laudaverit, optaverit, is mente laborat & corpore.

I I I.

QUAMLIBET expende Temperiem. Sanguis ubi plurimus est, corpus paucis beat commodis, animum quadam tenùs affigit humi, mediocres excitat virtutes, urbanitatem, clementiam: sanguineos videas extemporaneæ subtilitatis homines, simplices, apertos; sed quàm proclives ad amorem, genio deditos, laboris impatientes! Biliosorum non minus infausta temperies: In iis qui turget

humor, quam præpoſteros motus impertit animo, corpori! Iracundiæ, furoris, phrenitidis teterrima parens eſt, icteri quoque, phtiſeos, dyſenteriæ. Pituitoſi quàm ſegnes, ſommiculoſi! quàm cogitatione tardi, graves ſenſibus, ſtudiis inhabiles! eos quàm ſæpè Paraliticos videas, Artrhiticos! his caret incommodis, cui Melancholica contigit indoles.

I V.

IN Melancholicis ſumma ſunt omnia, valentiſſima: ſolidiori conſtant ex materie, numeroſum venarum genus, arteriarum pulſatilis familia, nervorum animatæ phalanges, fibrarum funiculi, ſpiritus opifices functionum; Oſſa quoque duriora ſunt, pectus latum, firma latera. Cernitur & oris gravitas plena judicii, memoriæ; lingua parca, mens clauſa, animus propoſiti tenax, rebus in arduis conſtantiſſimus, audax omnia perpeti. Alto corpore repoſtum manet humidum vitæ fomes, ſanitatis. Viget in cerebro calor ad inventionem rerum, durat ad perpenſionem. Quandoque fiunt inſolentes illæ mentis agitationes, ἐκπλήξεις, quas admirari faciliùs eſt quam enodare; fiunt & ingenia rerum ſublimium comprehenſione quaſi δαιμονιώτερα.

V.

PRÆSTANT itaque Melancholici cœteris hominibus; nutriuntur meliùs, rariùs ægrotant, diutiùs vivunt; ſi ſe dederint artibus, mirum, quos illi progreſſus habuerint! quàm ſummi oratores evaſerint, Poëtæ, Medici! quantum floruerint in rebus bellicis, Mechanicis! Ad difficillima quæque ſemper

attenti ſunt, nec tam facti, quam nati; nec unquam minùs ocioſi, quàm cum ocioſi ſunt. Quod bilioſus homo, pituitoſus, quod ſanguineus vix attingit, id aſſequitur, peragit Melancholicus. Felix igitur Melancholica conſtitutio, firmiſſimæ ſanitatis parens, perficiendis corporis & animi functionibus accommodatiſſima, prorſus Athletica eſt, Heroica, Regia.

Ergo Temperamentum Melancholicum præſtantius.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Michaël Sauvalle.

M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.

M. Claudius Burlet, Scholarum Profeſſor.

M. Alexander-Petrus Mattot.

M. Claudius Bourdelin.

M. Joannes-Franciſcus Foy-Vaillant.

M. Germanus Preaux, Profeſſor Regius.

M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.

M. Joannes Cordelle.

Proponebat Pariſiis PHILIPPUS BERNARDUS DE BORDEGARAYE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.